



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Testamentis. Consilium CCCCXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

Cum igitur hoc dubium sit, & in dubio periculosum in alterutram partem aliquid Reverendiss. Domino Episcopo moderno consulere; & ad iudicium Revisionis non nisi plumbeis pedibus, & nisi in manifesto errore, ac plenissima luce boni juris procedendum; consulimus, ut vel per amicos, vel per supplicem libellum dicto Concilio exhibendum petatur dictæ sententiæ in parte illa reservativa declaratio; an Concilium illam intelligat ratione excessus ultra prædictam summam trium millium ducatorum; an ratione excessus ultra vires bonorum, quæ Reverendiss. Antonius in suo peculio habuit & reliquit; ut alterutro cognito, maturo iudicio expendi & resolvi possit, an via supplicationis & Revisionis fundata & necessaria erat. Etenim nobis persuademus, Amplissimos Dominos ex sua humanitate non denegaturos hanc suæ sententiæ in ea parte declarationem. Quod si deprehendatur istam reservationem adjectam esse tantum propter allegationem, quam Domini Executores fecerunt de excessu ultra vires patrimonii; & non propter allegationem, quam fecit Reverendissimus Dominus Episcopus modernus de excessu ultra tria millia ducatorum, ad dicti iudicii maturitatem; necesse erit omnia acta causæ, unâ cum exhibitis scripturis & instrumentis, videlicet signaturâ Papali de licentia testandi, literis licentiæ Principis, & dicto testamento videre; saltem per copiam sic confectam quoad dictam signaturam, ut ex illa deprehendi possit, quæ in parte sit allegata rasura: iis enim non inspectis, periculosum esset de tota causa decisivè aliquid iudicare, ad dictum revisionis iudicium ingrediendum, *l. Incivile De legib.* Etsi enim pleraque quæ pro inefficacia dicti testamēti superius adduximus, certam habeant juris rationem, & per nos pro aliqua prima delineatione adducta sint; ut ex iis Reverendiss. Dominus Episcopus aliquo modo intelligere possit statum huius causæ; certo tamen iudicio per nos huic causæ applicari non possunt, nisi omnibus prædictis actis, & instrumentis saltem per copiam visis; ex quorum inspectione fortè dabitur occasio quærendæ alterius viæ, seu remedij adversus hanc sententiam, quàm supplicationis & revisionis, à qua Reverendiss. Dominus Episcopus non immeritò abhorreere videtur, tum propter sumptuum magnitudinem; tum propter periculum in exitu illius, & incertam spem reformationis, ab iis, qui prioris sententiæ auctores fuerunt; quamvis tamen non desint exempla revocationum per hanc viam plurium sententiarum in diversis Conciliis.

De Testamentis.

S V M M A R I U M.

Legitimæ & Trebellianicæ deductio.

1. Prælegatum quando fideicommissum contineatur.
2. Conditio pro onere sepe accipitur.
3. Substitutionis fideicommissariæ clausula non tantum ad proximam, sed etiam remotam refertur.
4. Trebellianica cum legitimâ detrahi potest.
4. Trebellianica detractio ad heredem transmittitur.
6. 8. Inventarij omisio an impediatur detractionem Trebellianicæ.

7. Trebellianicam liberis prohiberi non posse.
9. Testatoris voluntati non parens non habet ex ea positionem.
10. Trebellianica an fructus imputentur.
11. Legitima aut eius supplemento non renuntiatur per generalem approbationem testamenti.
12. Approbatio testamenti an contineat renuntiationem Trebellianicæ.
13. Fideicommissum continet tacite prohibitionem alienationis.
14. Divisione an censetur renuntiatum fideicommissum.
15. Ius quod quis alij dixit servare debet.
16. Hæres Trebellianicam omittere potest.
17. Trebellianicæ deductio voluntati testatoris non repugnat.

CONSILIVM CCCCXV.

IN lite, quæ est coram Venerabili Domino Officiali Leodiensi, inter Domicellam Liliam, relictam viduam quondam Guilielmi de Been, junioris, ex una; & Ioannem de Been cum suis consortibus, ex altera, partibus tria sunt controversiæ præcipua capita. Primum, an domus, quæ cum vineis & orto dicto Guilielmo in paterno testamento prælegata est, veniat in restitutionem fideicommissi, quo universaliter Guilielmus in paterno testamento gravatus est, si sine liberis decederet? Secundum, an in restitutione fideicommissi deducenda sit legitima ac Trebellianica; ut eatenus saltem sustineatur relictum, quod Guilielmus uxori suæ testamento reliquit. Tertium, an Domicella Lilia ex capite defuncti mariti contendendo ad hanc deductionem, dicto testamento paterno contraveniat?

In primo articulo, quamvis multa colorata adferri possent ad averendum onus fideicommissi ab hoc prælegato; in veritatem tamen inquirendo, certius est, hoc prælegatum fideicommissum subiecto comprehendere: quia testator primum prælegavit; deinde fideicommissum subiecit; non quidem de hæreditate aut hæreditaria portione vel parte; quo casu prælegatum velut ab hæreditate separatim non contineretur, *l. Si Titius De leg. 3.* sed de parte ac portione bonorum à testatore relictorum; his verbis, *Que sa part & portion de mesdicts biens à luy laisse retourner &c.* hoc est, *Quod pars & portio bonorum meorum ipsi relictorum revertantur, &c.* quæ verba tam prælegatis, quàm universaliter sub clausula residui relictis, conveniunt; ut expresso jure, quod hæc dissimulari nequit, decisum est, *l. Marcellus §. quidam liberis, & ibi DD. Ad Trebell. DD. in l. Cum virum C. De fideicom. Alex. conf. 33. Videtur vol. 4. Paul. Paris. conf. 18. Etsi quod n. 15. vol. 3. præsertim quia testator non gravaverit filios suos hoc reciproco fideicommissum, in casum deficientium liberorum in qualitate hæredum (quo casu magnâ subtilitate defendit Carolus Ruinus, conf. 65. Primo per ordinem n. 16. vol. 2. fideicommissum de portione, ad hæreditatis portionem restringi) sed simpliciter in sola ac nuda qualitate liberorum; in qua tam prælegata, quàm residuum est relictum; * omniumque maximè, quod tribus prælegatis, quæ testator tribus filiis adscripsit, immediate subiecerit hanc clausulam, à conditione cy desous escripte; hoc est, sub conditione infra scripta. Improprie enim frequenter sic accipitur hæc vox, conditio,*

conditio, in ultimis voluntatibus, l. Maria De manu-
miss. testam. Bart. in l. Quibus diebus §. Thermus De
condit. & demonst. Franc. Aretin. conf. 152. Brevitate
utendum sub fin. Cum ergo inferius neque conditio
proprie dicta, neque aliud onus, quam hoc fidei-
commissum subiiciatur; dubitari amplius non de-
bet, quin testator fideicommissum ampliare, &
tam ad prælegata, quam alia sub clausula residui
relicta extendere voluerit. * Cum alioqui clau-
sula huiusmodi substitutionis fideicommissariae
tam generalibus verbis concepta, ne dum ad pro-
xima, sed etiam ad remota referri debeat, Salic. in
d. l. Cum virum. Alex. conf. 25. Circa primum dubium
n. 8. vol. 1. sicut & prædicta clausula, à conditione cy
dellous escrete, hoc est, sub conditione infra scripta;
quamvis in fine adjecta, ad prælegatum Gerardo
filio adscriptum, propter vim & potestatem im-
mediatè connexionis aliorum duorum prælegato-
rum ac verosimilem mentem testatoris, quod vo-
luerit subintelligi ac repeti conditionem in præ-
cedenti dispositione positam, DD. in l. Reperendus,
De leg. 3. Car. Molin. ad consuet. Paris. tit. 1. §. 37.
gloss. 1. n. 9.

4. Relicto igitur hoc capite, in quo nullum præ-
sidium invenimus pro sustinendo testamento Gui-
lielmi, ad utilitatem Domicellæ Liliæ; procedamus
ad secundum, an ne præsupposita extensione
fideicommissi ad hoc prælegatum ex deductione
ac detraktionem legitimæ ac Trebellianicæ, lega-
tum uxori factum valeat? In quo breviter respon-
dendo dicimus, quod ex juris Canonici disposi-
tione, c. Raynuitus, c. Rainaldus De testam. post lon-
gam disputationem obtinuit, & ut ait Iason, in
Auth. Res que C. Commun. De legat. ex generali totius
orbis consuetudine receptum sit, quod liberis fi-
deicommissio universali totius hereditatis seu
omnium bonorum à parente relictorum gravatis,
liceat legitimam & Trebellianicam deducere;
cum restitutio post mortem seu diem incertum fa-
cienda est, DD. in l. Quamquam C. Ad l. Falcid. Ca-
nonistæ in d. c. Rainuitus. Alex. conf. 45. Attentia nu. 8.
vol. 2. Angelus in l. Cohæredi §. cum filia De vulg. &
pupil. Paul. Paris. conf. 17. & 18. vol. 2. Socin. Nepos
conf. 170. nu. 22. vol. 2. & 112. vol. 3. Ruinus conf.
167. vol. 2. Decius conf. 81. In casu proposito nu. 3.
Covar. in epit. 4. Decretal. in d. c. Rainuitus §. 1. Boe-
rius decis. 44. nu. 17. & 18. Steph. Bevrandi conf.
161. Visa clausula vol. 7. Quod cum dubitationem
nullam habeat in scholis & foro, latius proficui,
vel rationibus instruere necesse non est: ea tamen
avertamus, quæ impedimentum huic duplici de-
ductioni facere videntur in comparatione dictæ
Domicellæ Liliæ.

5. Et principio nihil impedimento est, quod hæc
deductione ac juris beneficio Guilielmus usus non
sit: legitima enim, atque etiam Trebellianicæ
deductio seu retentio, si eam in vita non fecit, vel
separavit gravatus (uti certo modo & aliquate-
nus potest, l. Marcellus §. res que & ibi DD. ad S. C.
Trebel.) ad quoscumque hæredes gravati tam ex
testamento, quam ab intestato; & tam ad extra-
neos, quam suos transmittitur, d. l. Quamquam, l.
Irritum, Ad l. Falcid. & utrobique gloss. & DD. qui
etiam in l. Omnimodo in princ. C. De iuss. testam. De-
cius d. conf. 81. Ias. conf. 43. Videretur vol. 3. Paul. Pa-

ris. conf. 9. Olim dominus, & conf. 18. Consideraris n.
95. vol. 2. Quamvis enim gravato obliqua via in-
venta, & parata sit in vita separandi legitimam &
Trebellianicam per rerum delectum: verus tamen
& communis usus deducendi eas post mortem gra-
vati apud ejus hæredem vel causam ab eo haben-
tem primum incidit. Nam, ut eleganter ait Ca-
strensis, in d. l. Quamquam, antequam gravatus mori-
atur, jus detrahendi perfecte ortum non est, sed
oritur primum in mortis articulo; ideoque incipit
in persona hæredis. Ita ut satis sit in proposito,
quod Guilielmus non declaraverit se hac dedu-
ctione uti nolle: multò magis id obtinere debet
ex eo, quod res fideicommissio subiectas legave-
rit. Ut enim alienando, d. §. res que, ita quoque
legando, vel testamento relinquendo gravatus
efficit, ut ea res ante alias imputari debeant. In
proposito igitur manifestum est, deductionis huius
usum non esse ex morte Guilielmi impeditum, sed
magis ortum.

Secundò, quæ pro remorandâ hæc utrâque de-
ductione obijcitur, omisso Inventarii, quod ex
præscripto Iustiniani, in l. Scimus C. De iure delib. in
Auth. De hered. & Falc. in princ. hæres facere debet,
nihil quoque impedit hanc deductionem: nam
de legitima nemo umquam probabiliter dubita-
vit; cum illa jure naturæ debeat, & in ea filius
magis creditor, quam hæres sit, gloss. in Auth. Hoc
amplius C. De fideicom. & ibi Bart. Alex. conf. 67. Vi-
sis & ponderatis. vol. 4. Et quamvis de Trebellia-
nica ingens sit controversia, & opinionum confi-
ctus, an illa per hanc omissionem amittatur, ut
vix deprehendi possit utra sit receptior, Car. Mo-
lin. ad d. Alex. conf. 67. Covar. in d. §. 11. nu. 10.
Cassadorus decis. 3. De testam. hoc tamen frequen-
tius, & majore ratione receptum est, in liberis pri-
mi gradus omissionem inventarii non facere ad
amissionem Trebellianicæ, Bald. d. conf. 99. Super
primo quesito vol. 4. Alex. conf. 29. Perspectus vol. 5.
atque ita in Curia Parlamenti judicari testatur
Guido Papæ, Decis. 53. Cravetta consil. 17. Querit-
ur, Ant. Rubens consil. 43. Ex testamento nu. 9. & ita
in Imperiali Camera testatur Ioachimus Mynsin-
gerus, Centur. 3. observat. 60. judicatum esse gene-
raliter; ut ad amittendam Trebellianicam nihil
faciat inventarii omisso. * Et sanè cum hoc fre-
quentius receptum sit, prohibitionem testatoris et-
iam apertâ in liberis primi gradus Trebelliani-
cam prohiberi aut auferri non posse, Bald. in l. In-
venimus C. Ad Trebell. Iason in d. l. Marcellus, & conf. 99.
Dividam istam nu. 2. & conf. 146. Præsupposito nu. 6.
vol. 4. Lud. Gozadin. conf. 104. In hac causa, Socin.
Nepos conf. 131. Questio proposita nu. 53. vol. 1. & conf.
112. Negare nu. 3. vol. 3. non tantum si solius Tre-
bellianicæ deductio incidat, quod quidam putant,
Decius conf. 480. In casu nu. 13. verum etiam si de le-
gitimâ quoque deducenda agatur, Socin. Nepos d.
conf. 131. Carol. Ruinus conf. 163. De duobus nu. 14.
vol. 2. non patitur ratio, ut penâ amissionis ob-
solum inventarium omisum afficiatur filius, in
cujus persona testator neque directè, neque obli-
què potest inducere prohibitionem Trebelliani-
cæ; præsertim quia non constet neque allegetur
Guilielmum umquam requisitum fuisse à fidei-
commissariis, ut inventarium conficeret; * ut enim 8
eo casu,

eo casu; urgentibus scilicet fideicommissariis, æquum sit heredem gravatum omittentem, pœnā juris affici, gloss. Bart. Imola in l. Cum tale §. 1. De condit. & demonst. Bal. in l. Filium quem C. Fam. erisc. August. Beronius quest. 118. ita iis non urgentibus iniquum esset eo nomine in periculum eum deduci: præsertim nunc post tot annos à morte testatoris, nemine conquerente de interversione, suppressione, aut subtractione aliquorum bonorum. Ex diurnitate enim temporis præsumuntur omnia intervenisse, quæ juris solemnitas desiderat; ut in hoc articulo respondit Riminaldus, consil. 231. Clarissimi in fine vol. 2. * Et novissimè, ut etiam vera sit eorum opinio, qui affirmativam opinionem amplectentes ex omisso inventario etiam filio Trebellianicam eripiunt; in proposito tamen casu id obtinere non potest: ex eo, quod ipsi, qui nunc de fideicommissio contendunt, cohæredes Guilielmi reciproco hoc fideicommissio gravati quoque fuerint; & nihilò magis inventarium ipsi confecerint. Ita ut cum in pari culpa nunc inveniantur (si id culpæ adscribendum est) ipsis ex culpa alterius commodum aliquod acquiri non debeat. Vti evenit in prohibitione alienationis, quam inter plures testator adjuncto reciproco fideicommissio fecit: qui enim ex his alienavit prior, alterius alienantis portionem non revocabit, nec iure fideicommissi petet: per absurdum enim esset vice mutuâ petitionem induci inter hos, qui testatoris voluntati non paruerunt, l. Cum pater §. libertis De leg. 2. Ita ut in proposito, argumento à testatore ad legem ducto, l. Si ita fuerit servus De manumiss. testam. l. Si quis legaverit Titio De leg. 1. non patiatur ratio, ut ob omisum inventarium, aliquid juris prætendat is, qui in eadem hereditate & causa, in eodem omissionis vitio fuit. Quamquàm interim (ut hoc non præmittamus) inventarii defectus aut omisio hic subesse non videatur; propter descriptionem & solemnem divisionem bonorum, quæ inter liberos huius testatoris facta invenitur, quæ inventarii locum satis supplet. * Tertiò, pro impedienda hac utraque deductione obici possit, quod Guilielmus multis annis fructus bonorum sibi paterno testamento relictorum, atque sic ex iudicio patris, perceperit; ita ut in Trebellianicam imputati, uti generaliter imputari debent, l. Quod bonis §. quod avus & §. fructus Ad l. Falcid. l. In fideicommissaria Ad SC. Treb. nullum locum ulteriori deductioni relinquere videantur. Sed in contentione ac disputatione Doctorum illa sententia prævaluisse videtur, secundum quam etiam in Rotæ Romanæ iudicio conclusum & iudicatum esse testatur Cassadorus, decis. 2. sub tit. De testam. quod liberi primi gradus fructus in Trebellianicam non imputent, Bart. Alex. & alii in d. §. quod avus, Ang. consil. 224. in fine versic. Ad tertium, Lud. Roman. consil. 206. Licet De communi. Ad similitudinem legitimæ, in quam indubitatum est fructus non imputari, l. Scimus §. Sancimus vers. repletionem De inoff. testam. l. In ratione in princ. l. In quantitate Ad leg. Falcid. sive de sola Trebellianica deducenda agatur; de quo nemo dubitat, sive de legitimâ & Trebellianica conjunctim: præsertim quando restitutio non est facienda extraneis, sed liberis ipsius testatoris, ut est

in casu proposito. Ita enim, qui contrariam sententiam sustinentes, existimant fructus Trebellianicæ imputari cum de duabus deductionibus agitur, suam sententiam restringunt, si restitutio extraneis facienda est, Fulg. Cornus & alii in d. l. Invenimus, Paul. Paris. consil. 93. Potuit nu. 54. & seq. vol. 2.

Quartò huc duplici detractiōi nihil obstat approbatio testamenti, quam Guilielmus tum specialiter, tum ex divisione fraterna, acceptando suam portionem, fecit: nam huiusmodi approbatio nihil facit, quò minùs istæ deductiones adhuc salvæ sint. De legitima enim nulla est dubitatio, quod expresso iure constitutum sit, l. Si quando §. & generaliter C. De inoff. testam. Baldus consil. 117. Quædam Domina vol. 1. ne quidem petitioni supplementi, si quid legitimæ integræ deest, renuntiatum videri per approbationem testamenti; nisi specialiter adjectum sit de amplius non petendo, Cast. in d. §. & generaliter. Quantò minùs itaque legitimæ deductioni renuntiatum videri debet; quam, & ultra quam dividendo ac testamentum approbando accepit: ita ut cogitatio renuntiationis in actu acquisitionis in eo, quod acquiritur, planè sit inepta & absurda. Quæ ratio etiam in Trebellianica militat, cum Guilielmus dividendo & acceptando in sua portione consequatur longè plus, ita ut tacite renuntiationis nullus sit color. Qui enim videri potest renuntiare toti zeli parti qui totum accepit? arg. l. Qui se solvit De solut. Et interpretativa quoque est cogitatio renuntiationis huiusmodi, ante ius illius ortum: quod diximus superius primùm in articulo mortis oriri. * Probabile quidem hoc est, filium Trebellianicæ renuntiare, si testamentum patris approbet, in quo expressè prohibita est Trebellianica; hic enim aliquid habet renuntiatio in quod vires agat: sed in simplici fideicommissio nullum est fundamentum, in quo constitui possit aliquis huiusmodi approbationis effectus. Alioqui enim generaliter hæres fideicommissio universali gravatus sponte adeundo, non detraheret quartam, quod est contra omnia iura, tit. D. & C. Ad S. C. Treb. per totum: cum ab ea deductione ferè tantum cadat is, qui coactus adivit, l. Quia poterat in princ. Ad S. C. Treb. §. sed quia in fine Injtit. De fideicom. heredit. Quà ratione Decius consil. 257. Queritur n. 3. & eum sequutus Paulus Parisius, consil. 17. Ex lectura nu. 19. vol. 2. vide Curtium senorem consil. 75. Dominus Ludovicus n. 8. reprehendunt Petrum Ancharanum, qui in simplici approbatione testamenti, per additionem constituerat vim & effectum renuntiationis Trebellianicæ, consil. 152. Plura sunt nu. 8.

Nec ad rem facit, quod in fideicommissio tacite lateat prohibitio alienationis, Auth. Res qua C. Commun. de legat. nam expressa prohibitionis maior est vis; & contraventionem inducit, si aliter fiat; quia aliter quocumque modo fieri vetat; verum, ut mox deducemus, non contravenitur testamento per solam Trebellianicæ aut legitimæ deductionem. Sic quod nulla sit dubitatio, quin in nuda & generali approbatione testamenti, ac subsequuta apprehensione bonorum, nulla lateat renuntiatio Trebellianicæ; multò minùs legitimæ. Atq; ita in specie huius, de qua hic controversitur, admodum simili, respondit Stephanus Bertrandus, consil. 128.

cons. 128. Viso processu vol. 2. parte 1. uxorem à marito sic gravato heredem universalem institutam, detracturam fratribus fideicommissariis legitimam & Trebellianicam.

24 In divisione bonorum multo minus potest constitui aliqua renuntiatio. Et si enim Interpretes de eo plerumque disputent, Doct. in l. 1. C. De pact. Curtius iunior cons. 49. nu. 12. Circa litem, Decius consil. 243. Vt clarior nu. 2. an per divisionem censetur renuntiatum fideicommissum, ne fideicommissarius id petere possit (quod rei proposita non congruit; quia non de remissione, sed conservatione fideicommissi agitur) nemo tamen de eo umquam dubitavit, quod per divisionem quis deductioni legitimæ, aut Trebellianicæ renuntiare censetur; cum divisionis tempore non cadat ea cogitatio restitutionis fideicommissi; & ad incogitata referri non possit actus operatio, l. Cum Aquiliana De transact. Ita ut quæ ratione communiter probatur, ut per divisionem non censetur in dubio renuntiatum fideicommissum, Decius d. consil. 243. Curtius iunior d. cons. 49. etiam si divisio facta sit cum renuntiatione, de non plus petendo, aut non contraveniendo, Bart. Imol. & Alex. in l. Qui duo Rome §. duo fratres De verb. oblig. 147. nu. 10. eadem & longè potentius non potest videri renuntiatum deductioni Trebellianicæ; quia connexa & veluti succedanea hæc sunt.

25 Novissimè nec illud impedimentum huic duplici deductioni facit, quod idem Guilielmus cum aliis suis consortibus, adversus Domicellam Mariam Dodeur, relictam viduam Gerardi de Been sui fratris, litem instituerit; & testamentum fratris, quo dictæ Domicellæ Mariæ ex bonis dicto fideicommissum subiectis quædam reliquerat, impugnaverit; ita ut iniquum jus, quod adversus testamentum fratris sui dixit, suo testamento suoque heredi seu successori dici, pati debeat, l. 1. l. 3. §. Quod quisque iuris. Nam in primis iuris iniqui prætextus aut allegatio prætexenti, dicenti, & illud alleganti non nocet, si in eo usque ad sententiam non præseveraverit, aut effectus aliquis inde non sequatur, l. 1. §. vi. Quod quisque iuris. Cum ergo his illa ad finem perducta non sit, sed deserta & perempta; non potest inde aliquid durius adversus dictam Domicellam Liliam, aut testamentum Guilielmi statui. Deinde oppugnatio testamenti per Gerardum conditi circa legitimam aut Trebellianicam propriè non versabatur; scilicet magis circa veritatem ac solemnitatem: negato scilicet notariatu illius, coram quo id publicatum dicebatur. Et denique in actis illius causæ nusquam invenimus, pro parte Guilielmi sustentam aut defensam esse legitimæ aut Trebellianicæ deductionem; per prædictum paternum testamentum, aut subsequentem testamenti approbationem impugnatam fuisse; sed propositionem inutilitatis testamenti, & petitionem fideicommissi generaliter propositam esse: quod improbari non potest. * Vt enim hæres fideicommissum gravatus totam hereditatem, nullâ deductione factâ, restituere potest, l. 1. §. 1. l. Quia poterat Ad SC. Trebell. si plenius fidem exhibere velit: ita quoque nihil vetat totam peti, facultate deducendi heredi gravati relictâ; ita ut deductio exceptionis potestatem obtineat;

quâ omisâ, nihil vetat in toto iudicium progredi.

In altero capite huius litis magnopere laborandū non est: nam communi opinione receptum est, nullam contraventionem aut oppugnationem testamenti constitui in Trebellianicæ; multo minus legitimæ deductione: nam ut Falcidia, §. 1. Instit. De leg. Falcidia, ita quoque Trebellianicæ deductio, voluntati testatoris non repugnat; nec censetur testamento contravenire, qui universali fideicommissum simpliciter gravatus, eam detrahit. Quod unicâ hac ratione indubitatum facit Decius, d. consil. 257. nu. 3. quod videlicet testator possit Trebellianicam prohibere; unde si non prohibuerit, videtur ei locum reliquisse, & in dubio iuris dispositioni se conformasse: est namque Trebellianicæ detractio permissa gravato, seu eius heredi, ex dispositione legali, Castr. in Anthem. Contra cum rogatus C. Ad Trebellian. Quod quia eleganter deducitur, & suis rationibus cum plerisque aliis ad hanc litem plurimum facientibus instruitur à Paulo Parisio, consil. 43. In huiusmodi nu. 33. & seq. vol. 3. latius persequi necessarium non est. Vnde remotis omnibus, quæ præfata Domicellæ Liliæ, in detrahenda legitima, ac Trebellianicæ impedimentum facere videbantur; existimamus relictum domus S. Margarete cum vineis & hortis, saltem usque ad vires legitimæ & Trebellianicæ, valere; etiam si aliis fundamentis, quibus ex lege patriæ ac aliunde munita dicitur, destitueretur.

De Testamentis.

S V M M A R I U M.

Trebellianicæ detractio.

1. Testamenti validitas ex quibus consistat.
2. Testamenti factionem quis habere dicatur.
3. Clericus beneficiatus an possit testari.
4. Liberi legitimi ex illegitimis an possint ab avo, vel avia institui.
5. Natus ex clerico beneficiato non est spiritus.
6. Nepos legitimus ex illegitimo non rumpit avi testamentum.
7. Fideicommissum impedit usufructus consuetudinarii transmissionem.
8. Patri solide non acquiritur usufructus in adventitium in fideicommissum positum.
9. Fideicommissum subiecta alienari non possunt, sed per fideicommissarium vindicari.
10. Hæres in præiudicium fideicommissarii disponere non potest.
11. Voluntas ex potestate disponentis ponderanda.
12. Fideicommissi dominium ante restitutionem non acquiritur.
13. Hæredes hæres cogi potest ad fideicommissi restitutionem.
14. Trebellianicam deducit omnis hæres.
15. Intellectus c. Raynutius, & c. Raynaldus De testam.
16. Trebellianica & legitima quomodo simul deducantur.
17. Trebellianica detractio in vita non facta ad hæredes transmittitur.
18. Trebellianica quæ imputentur.
19. Trebellianica detractio sola consuetudine non tollitur.
20. Trebellianica ut prohiberi ita consuetudine abrogari potest.

CON.